

Johann Georg Dorsche

**Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Georgius Dorscheus,
Argentoratensis, D. ad Exequias ... Dn. Caspari Poleyen/ Belli Ducis Fortissimi,
Herois Magnanimi, Quas ... Exuviis Relictis paratura est XII. Mensis Iunii, hor.
Pomerid. Moestissima Vidua ... Sophia Hünemorders/ Omnes Omnium Ordinum
Literatos & Cives Academicos ... vocat, rogat, hortatur ...**

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777389355>

Druck Freier  Zugang




Dorscheus, J. ,

in

C. Poley.

Rostock. 1656.

16.



12
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES GEORGIUS
DORSCHENS,
ARGENTORATENSIS, D.

ad
EXEQUIAS
NOBILISSIMI & MAXIME STRENUI
VIRI

DN. CASPARI

Boleyen
BELLI DUCIS FORTISSIMI, HERO-
IS MAGNANIMI,

Quas
Anima, superioris anni Mense Novembri, sublimioribus
sedibus admota.

EXUVIIS RELICTIS

paratura est

XII. MENSIS JUNII, hor. Pomerid.

MOESTISSIMA VIDUA

NOBILISSIMA & PRÆSTANTISSIMA FEMINA

SOPHIA *Hünemorders* /

OMNES OMNIUM ORDINUM
LITERATOS & CIVES ACADEMICOS

Peramanter & officiosè vocat, rogat, hortatur,
Memoriam mortalitatis salutiferam præcipuè singulis precatus
à Domino JESU!

•(o)•

Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1656



Memorable & penitiorum consi-
 deratione dignissimum est DEI nomen,
 quo VIR BELLI appellatur Exod. XV. 3.
 — מַלְחָמָה וְיִשְׁרָאֵל לִX. KÚ-
 ε. συνταξων πολέμου. Onkelos
 in Targ. יְיָ מְרִינֵצְחָן סְרַבֵּי
 Paul. Fagius vertit, Dominus est victor
 bellorum, & addit: Expressit Hebrai-
 smum. Nam virum dicit Hebraeus fere lau-
 di tribuitur, pro eo, quod est, insignem
 & praeclarum esse, pro beq. peritum aliquis rei: Vnde Deus dicitur Vir
 belli, id est, fortis bellator & gnarus bellandi. Vulgata Latina: Domi-
 nus quasi Vir pugnator. Germanica antiqua Msta ex vulg. der HErr
 ist wie ein streitper Mann. B. Lutherus rotundè. Der HErr ist der
 rechte KriegsMann. Santes Pagninus habet. Dominus Vir bellator.
 Sequitur Franc. Vatablus & Tigurini. Bened. Arias Montan. correxit.
 Dominus Vir belli. Johannes Mariana. Dominus Vir pugna. & addit:
 Ut Vir uxorem subditam habet, sic belli eventus ex Deo pendunt. Seba-
 stianus Castalio habet: Jova Vir bellicosus. Thomas de Vio Card. Ca-
 jecanus habet: Dominus vir pralii. Seb. Munsterus: Dominus vir belli-
 cosus. Italica Johannis Deodati habet. Il Signore è Guerriere. Gene-
 venisium Gallica habet: L' Eternel est un vaillant guerrier. Johannes
 Diertenbergius. Der HErr ist als ein Krigesmann. Franc. Junius &
 Tremellius reddunt: Jehova est bellicosissimus. & addunt in marg.
 Hebr. vir belli, id est, magnus bellator, ut Jud. 7. 14. Joh. Piscator, germ.
 Der HErr ist ein Kriegsmann. Cecinerunt Carmen, in quo nomen
 tantæ considerationis Deo tributum est, Moses & filii Israel. V. I. Car-
 men, inquam, cecinerunt, hoc est stylo ad poëticam sublimitatem
 assurgente usi sunt. Hieronymus praef. in Job. secutus Josephum,
 Philonem, Origenem, Eusebium, Caesarens. & alios affirmat, ligatum
 hic

hic esse sermonem, & addit, metrum esse hexametrum. Videantur, qui nuper in ista materia inter se contenderunt Franc. Gomarus in *Lyra Dav. part. analytic. cap. 10. Tom. 2. oper. p. 432.* ubi genera Carminis in hoc cantico observata disertè indicat, & Lud. Capellum in *Animadv. ad Lyr. in Crit. sac. p. 665.* Aliqui, ut notat Johann. de la Haye Minorit. *Comm. in Exod. b. l. existimant*, Mosen & mares omnes Canticum incepisse, feminas v. tanquam ex altero choro respondisse, ita sc. ut Moses aut solus aut cum Maribus canticum sit persecutus. Elucet hoc aliquo modo ex fine Cantici, ubi illius initium à Maria repetitur & hac varietate à choro virorum ad chorum feminarum perducta est cantio. Sanè qui, secuti Philonem de *vita Mosis*, arbitrantur, alternis versibus canticum cecinisse choros, hinc virorum, præeunte Mose, inde feminarum, præeunte Maria, sicq; alternatione frequenti ad finem usq; perductum ab utroq; choro fuisse canticum, s. literas præ se non habent. Est hoc carmen inter X. illustria, quæ Targum *Cant. 1.* & ex Mechilta s. veteri *Comm. in Ex. Andr. Masius Comm. in Jos. X.* commemorat. Augustinus à nonnullis in ea opinione fuisse dicitur, quasi de hoc carmine nihil cogitantes filii Israel, illico ut è mari rubro exierunt, in eundem subito concentum eruperint, non solum senes, sed etiam pueri, quia Deus per Spiritus Sancti extraordinarium illapsum linguas illorum fecit esse dulcitas. Placet illa Joh. de la Haye *p. 762.* sed non est Augustini, verum auctoris libri de *Mirabilibus scripturæ*, de quo ita Bellarminus de *script. Eccles. Liber de Mirabilibus scripturæ sacre non sine causa non invenitur in retractationibus, neq; in indiculo Possidii, quoniam liber est indignus ingenio & gravitate S. Augustini, quem etiam non magnificis, & S. Augustini esse negavit S. Thomas 3. part. q. 45. art. 3. ad 2.* Estq; hoc idem iudicium etiam Bened. Pererii *Comm. in Dan. lib. 1.* Anton. Possivini in *Apparatu, Lencæi de purgat. lib. 1. c. 11.* Alf. Mendozæ *contro. Theol. quest. 5.* Et Theolog. Lovaniensium in *Censura libr. b. August. T. 3.* de quo vid. Johan. Raynold. in *Censur. lib. Apocryph. V. T. Tom. 1. p. 426. & s.* & tamen, uti Pontificii obviam omnia arripere solent, citatur liber, ut genuinus, ab Hieronym. de *Torres Confess. August. lib. 4. c. 10. sect. 6. & 1. 3. c. 2. s. 4.* & à Cardin. Stanislao Hosio *Confess. Petricoviens. cap. 80.* & aliis. Verba è lib. de *Mir. scr.* ita habent: *Admirare dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, & omnes etates, eodem inspirati flamine, uno quasi*

ex ore, nulla præmissione edocti, easdem continenter literas decantarent in unum, ubi non consuetudine humani ingenii sed divino spiritu cantorum pectora & ora inspirantur, Dominus, qui pauld ante in profundo coram eis apparuerat, ipse postmodum in tali cantico linguas & ingenia gubernabat. Rectius Philo de vita Mosis lib. 1. (quem etiam citat Hayus & sic in diversa abit) cum ait: Propheta gaudens cum gaudente populo & letitiam intra se non continens exorsus est Canticum, id verò audiente ns populus in duos choros secescit & canentem imitatus est. Porrò in Carmine suo spectarunt JEHOVAM. Hoc inter admiranda & tremenda Dei nomina Palmarium est, de quo hic dicere plura non permittit institutum. Hieronymus ab Oleastro *Const. h. l. Admonni*, inquit, supra cap. 6. ineffabile nomen Dei Jehova non indicasse Deum Patribus ante Mosen quantum ad rem significatam, id enim nomen propriè significat Conterentem, ab *Havah*, quod est contritio. Licet enim patris Patres Deum cognoverint, ut beneficium & sufficientem sibi, aliisq; ad omnia, non tamen cognoverant eum, ut præliatorem & conterentem inimicos, tanquam virum belli, quomodo cognitus est nunc ab Hebræis in tanta talisq; cæde Ægyptiorum. Unde dicunt, Dominus est vir belli, q. d. Ignorabamus Deum virum bellatorem, seu per se pugnare, & cum vult, inimicos conterere, sed eum talem esse nunc experti sumus. Similiter ignorabamus, eum propriè & meritò vocari Jehovah, id est, conterentem, quod tamen nunc manifesta experientia compertum & cognitum habemus. Quare meo iudicio hic locus Exodi declarat obscuritatem illius loci, qui est supra cap. 6. ubi dictum est, Deum non indicasse nomen suum Tetragrammaton tribus illis Patriarchis, Abraham, Isaac & Jacob. Idem ergo esse videtur, cognoscere Deum virum belli, atq; cognoscere, Jehovam esse nomen ejus. hæc ab Oleastro. Sed præterquam quod ista derivatio principii grammaticis repugnat, omnino se Jehova ut virum belli & conterentem etiam dudum antea exhibuerat. Gravissimum sanè bellum erat, quod cum primi mundi hominibus gessit Jehova. Hos diu antea lenibus armis Spiritus sanctus aggressus fuerat. Postquam, autem illi bellare contrarios, bellare contra Deum noluerunt desinere, nec admiserunt Spiritus sancti contra se micissima iudicia, Deus se virum belli ostendit. Etenim potenti invento in medias undas conjicere hostem, aut undis superinductis cumulatèq; surgentibus subvertere, virorum belli ingenio convenit. Nonne v. Abrahamus
Jeho-

Jehovam suum virum belli expertus est, vel cum trecentis vernis suis Regum Orientis robur comminueret, *Gen. 14. 19. 20.* vel cum vindictam divinam contra Pentapolitanos exerceret *Gen. 19. 24. 25.* Certè virum belli Jehovam expertus est Jacobus, cum animum Esau, oppressuri fortasse ipsum cum universa familia, quadringentis secum aductis viris, immutavit, *Gen. 33. 1. & seqq.* Itaque Israelitæ non originationem divini nominis, sed amplissimam ejus vim potius animo complexi fuerunt, cum virum belli; *Jehovam* appellarunt. Qui enim solus est & subsistit ex seipso, sine quo nihil est & subsistit, qui semper, ubiq; intimè adest omnibus, omnibus naturam, vires, operationes concedit, summa & interminabili potestate omnia producere ex nihilo, in nihilum redigere; omnia excitare & conterere potest, is etiam *Vir bellorum* est, par omnibus bellicis roboribus non solum, sed etiam superior. Insuper autem respexerunt in hoc animorum spiritualibus delictis plenissimorum jubilo ad Filium Dei ipsis promissum; ad Jehovam, qui tolerato sævissimo antiqui serpentis in calcaneo suo vulnere contriturus erat caput serpentis *Gen. 3. 15.* hoc est, uti *πρωτοφασίας* hanc protevangelicam exhilarationem lapsorum mortalium *ep. ad Hebr. 2. 14.* qui per mortem suam destructurus erat eum, qui potestatem habebat mortis, hoc est, Diabolum: ad Jehovam VIRUM, quem se jam obrinuisse persuasa fuerat mater generis nostri. *Gen. 4. 1.* ad Jehovam seminis apprehensi induitione omnibus gentibus benedictionem allaturum, *Gen. 22. 18.* Jehovam, cum quo in VIRI forma apparente impervestigabili dispensatione luctatus est. *Gen. 32. 24. & seqq.* Jehovam, qui in columna nubis & ignis, symbolo futuræ in terris *Φανερώσεως* suæ, protexit Israelitarum exercitum. *Exod. 14. 18. 19. 20.* Conf. *1. Cor. 10. 1. 4. 9.* Est utiq; VIR, qui stricto gladio se Josue stitit ad Jerichuntis expugnationem eum instructurus, Princeps militiæ *Jehovæ*, *Jos. 6. 13.* Rabbiorum veterum commentum est, quod è *Massechet Sota*, dist. quæ incipit *Hammekanne Leischto*, refertur à Raym. Martin. *pug. fid. part. 3. dist. 3. cap. 6. num. 5.* Rabbi Akiba tradidisse, quando in Ægypto tempus parienti mulieribus Hebræorum instabat, ivisse eas in agrum & ibi sub arbore aliqua pomifera peperisse, juxta *Cant. 8. 5.* Deum autem eas visitasse & mundasse, juxta *Ezech. 16. 4.* Venientibus Ægyptiis ad eos interficiendum, solum eos absorpsisse; hinc factum esse, ut Ægyptii

sapius aratrum super infantes istos duxerint: juxta *Psal. 119. 3.* Adultiores demum factos è terra erupisse & ad familias suas accurrisse. Antea autem fuisse nutritos à Deo in forma juvenis, qui postea in mari rubro ipsis apparuit. Reponit similia ex *Veelle Schemoth Rabba*, s. glossa in *Exod. h. l.* qui ait: *Quando creverant pueri in Ægypto, intraverunt in domos suos apud patres suos, qui querebant ab eis, quis paverit eos, & dicebant eis, juvenis quidam pulcherrimus descendebat &c. Quando autem intraverant Israelitæ in mare, illi quoq; pueri fuerunt in mari, & fuerunt videntes Deum in mari. Cæperunt itaq; dicere Patribus suis, iste est ille juvenis, qui fecit nobis omnia illa qui diximus, quando eramus in Ægypto.* E nube hujus fabulæ lucet, ad *ἐνανθρώπησιν*, seu apparitionem Jehovæ in carne, piorum oculos ingenti desiderio fuisse defixos. Hinc, cum V. T. gemitus esset, *utinam Deus tandem appareret in carne*, N. T. jubilus resonat, *Deus manifestatus est in carne*, *1. Tim. 3. 16.* Et hunc Mediatorem, inter violentissimam expeditionem Ægyptiorum & se ipsos ad litus maris rubri consistentes, proculdubio supplicibus invocarunt suspiriis, in quo omnis gratiosi cum Deo fœderis basis posita erat. Cumq; ille admirabili opere universam belli flammam subito extinxisset, rectè exclamarunt, *Jehova Vir belli!* Senserunt id Ægyptii, cum in ipso sinu maris, cum jam curruum rotæ subverterentur & magis magisq; impingerent, dixerunt *Exod. 14. 25.* *Fugiamus Israelem. Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Onkelos in Targum. *Fugiamus à facie Israel, quoniam hæc est potentia Domini, quæ fecit pro eis bella in Ægypto.* Malum Deum in V. T. ab Israelitis cultum fuisse, à Manichæis ideo creditum est, quia dicitur *Vir belli.* Hinc Abrahamum, Mosen, Davidem & cæteros V. T. qui bella gesserunt, ex sanctorum numero expungit. Sed solide hanc controversiam contra ipsos deduxit Hipponensium in Africa Præsul, S. Augustinus *contra Faustum Manichæum lib. XXII. cap. 74.* disputans. Digna verò sunt ejus verba, ex quibus pauca decerpamus. *Quid, inquit, culpatur in bello? An quia moriuntur quandoq; morituri, ut dominantur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, necandi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bello jure culpantur, quæ plerumq; ita culpantur, ut etiam jure puniantur. Adversus violentiam resistentium, sive DEO sive*

sive aliquo legitimo imperio subente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire justè, ordo constringit ipse. Alioquin Johannes, cum ad eum baptisandi milites venirent, dicentes, & nos quid faciemus? responderet eis; Abjicite arma, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat, eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultiores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis, Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Sed quia Manichæi Johannem apertè blasphemare consueverunt, ipsum dominum Jesum Christum audiant, hoc stipendium jubentem reddi Cæsari, quod Johannes dicit debere sufficere militi; Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt, Ad hoc n. tributa præstantur, ut propter bella necessario militi stipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis, dicentis, Et ego homo sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade & vadit, & alii, veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit, fidem laudavit, non illis militiæ desertionem imperavit. Jure ergo optimo maximo summus Deus vocatur vir belli. Et infinita est quoad denominatum distantia, cum & Goliath vocatur מלח מן בני ישראל vir belli à juventute, Jehova noster mandat summa potestate, qua omnibus creaturis imperat, bella. Ipsoq; non mandante nullum bellum unquam benè & inculpatè geri potuisset. Mandata talia plurima complectitur V.T. Deducit illa D. Gerhardus noster L.C. de Magistr. Tom. 6. cap. 6. sect. 5. membro III. s. 370. ubi merito inter alia notat, quod Deut. 33. v. 29. Moses ad populum Israeliticum dicit: Deus est scutum auxilii tui & gladius excellentiæ tuæ. Luther. der Herr ist deiner hülffe Schild und das Schwerd deines Sieges. Si in ea conditione Adamus generis nostri primas perstitisset, quæ ipsum divina imagine decoravit & supra omnium creaturarum excellentiam extulit, nulla procul dubio bella futura fuissent. Nisi & illud secundum Pontificios in humano genere futurum fuisset, quod inter sanctissimos Angelos esse posse, contra me disputarunt antehac. Theologi Moguntini in Judicio Equitatis specim. 26. p. 41. & seqq. Dixi, Dan. 10. 13 Principem Regis Persarum, qui viginti & uno diebus stetit contra Gabrielem, non posse esse bonum Angelum, quia probari non potest, ulla parte dissensum aliquem esse inter

inter bonos Dei Angelos. Videatur *Septenarius Angelicus* p. 22. Hic Theologi Moguntini: *Contrarium*, inquit, *imprimis asseritur à Viris gravissimis*, à D. Gregorio M. lib. XVII. *Moral. c. 18. Theodoro h. l. D. Thoma 1. p. q. 11. 3. a. 3. & aliis antiquis*, ut nihil jam dicam de Perer. Cornel. Fernand. & aliis recent. & post. In duplici genere dissensus contingere potest. Aut n. est iudicii sive intellectus, aut voluntatis & affectus. Jam v. etsi in objectis evidenti lumine cognitis non possit esse inter angelos iudicii diversitas, in iis tamen, quæ incerta sunt & contingentia, quid coget idem sentire? cur non possint in oppositas opiniones abire? Quod si verò intellectus sententia dividi possunt, multo magis affectu & voluntate, cum ex ea parte libertate arbitrii potiantur. Potest unus aliquid extra Deum ut eveniat optare, quod alter nolit, etsi uterq; gloria Dei Zelo agatur, cum fieri possit, ut utrumq; quamvis cum opposito pugnet, ad divinum honorem futurum sit, si eveniat. Ita illi. Quasi verò in incertis & contingentibus abeant sanctissimi Angeli ab intuitu faciei divinæ cœlestis Patris, ut quicquam vel scire vel velle ausint, quod lumine gloriæ consequi aut cognoscere non possunt. Interim juxta Moguntinos Angelus contra Angelum in cœlis stare, & ita præliari potest, ut Michaelis principis auxilio opus fuerit. Facile ergo admittent & illi, bella in statu integritatis futura fuisse, licet minoribus imperfectionibus circumdata, quam nunc sunt. Illud autem cum status illius emendarissimi perfectione, cum imagine & similitudine Dei in illo statu fulsura, cum iustitia & sanctitate penitus pugnare, apertissimum est. Sed quicquid sit de hoc, nihilominus postquam cum lapsu à concreata perfectione omnium rerum confusso in humani generis societatem introducta est, mandavit Deus, ut præter patriam potestatem, auctis mortalibus præfesset ὑπερέχου aliqua ἐξουσία, quæ violentiam non privatam duntaxat, sed etiam publicam compesceret. Nam cum Gen. IX. 6. præcipitur: Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor: non privata unius hominis violentiæ id opponitur tantum, sed multo magis publicæ. Neq; ad factum tantum vindicandum respicit, sed etiam ad conatum evertendæ reipubl. ordinatum. Hinc & Rom. XII. 4. gladius, quem ἐξουσία ὑπερέχου, habent, non est privatus tantum & civilis, sed publicus etiam & bellicus, potissimum ad puniendos publice perniciosos & defendendos innocentes stringendus. Sic vir belli mandat bellum. Atq; adeo ille deinde etiam permittit bellum, quod
ab im-

ab improbis excitatur, sanctissimis ex causis. Quantumcumq; n. bellum insurgat, quanti ingruant strepitus atq; tumultus, quanta & quam terribilis etiam *virorum belli* coeat multitudo, nisi Jehova *Vir belli* permiserit coire & insurgere, nihil promovebitur, nihil movebitur. *Vir belli* noster supra omnem virorum & virium magnitudinem ac multitudinem VIR est. Domitor sc. tyrannorum est omnium, populorumq; qui bellandi ducuntur ardore. In hac *permissione* porro non otiosus desidet & spectat savos bellatorum furores, quos permittit, sed *moderatur* & injecto freno coercet, ne suum omnino impetum sequantur, aut obtineant scopum. Nutu certe solo animos labefactare, consilia turbare, ordines confundere, arma conterere, dissipare aciem, omnia pessundare potest. Inde sæpe horribilis expeditio innumerabilis multitudinis hostium levi flatu subversa est: sæpe cum in hanc regionem consilia tenderent, exercitus in aliam abreptus fuit: sæpe qui suppressendi videbantur, culti servatiq; fuerunt. *Juvat* autem *Vir belli* noster arcanis plerumq; sæpe apertis rationibus suos, quos insigni vult victoria nobilitare. Imo & presentibus suis & armatis interdum promittisq; ad prælium, ipse *solus pugnat*, ita *Vir belli*, ut solus bellat, solus omnia munia militiæ subeat, solus dux & exercitus simul sit. Sic summa potestate Jehova noster mandando, permitteudo, moderando, juvando, solum pugnando *Vir belli* est. Est præterea verò etiam *Vir belli*, de quo & alibi bella excitant, cujus majestatem, veritatem ex æternorum consiliorum recessibus propositam, mysteria summa, beneficia incomparabilia impugnant, pro quo & suos mascule fortiterq; pugnare vult. Hinc nominantur *bella Domini*, *ultiones Domini*, *pugna Dei*. Num. 21. 14. cap. 31. 3. 1. sam. 18. 14. cap. 25. 28. 1. Par. 5. 22. 2. Par. 20. 15. Scilicet Jehova noster est innocentissima *materialis*, bellorumq; quibus sapius Oriens, sapius Occidens, sapius Meridies, sapius Septentrio concussus est. Quin & ipsi Aegyptii atrociter contra ipsum bellarunt, neq; eum præferendum Diis Deabusq; suis existimarunt. Dum a. Amicos suos (eousq; miseros mortales extollit Jehova noster) ad bella sua animat, armat, inducit, exemplo *normæ* *Vir belli* est. Nolo miraculosè confecta bella recensere, quæ ultra imitationis lineam posita sunt. Sunt certè in super in magnis & sanctis bellatoribus, quos *Vir belli* noster informavit, exempla bellandi illustria, quæ præpotentibus seculorum subsequantium bellatoribus exquisitæ *normæ* loco esse poterant

rant. Et ideo, quisquis neglectis à *Viro belli* nostro exhibitis bellandi
exemplis bellaverit, infeliceiter viacet. *Finit n. Vir belli* deniq; bella.
Viri fortes & bellatores sæpe auferuntur, *Es. 3.2.* Neq; sub finem belli
omnes supersunt, qui bellum magna alacritate sunt ingressi. *Vir belli*
noster, semper idem, aperit & claudit bellum. Ipsi^{us} est victoria. *1.*
Macc. 15. 21. Hic triumphans Israelicæ, hic glorificant Immanuel^{em}.
suum hic summam adorant majestatem, hic felicissimos progressus
& optima quæq; sibi pollicentur. Nos ex hoc triumphali elogio DEI id
nunc tantum elicimus, nec bellum indiscriminatim inter ea reponen-
dum esse, quæ à Christiana religione abhorrent & Deo mixtissimo, Ser-
vatori optimo, repugnant, cum ipse se *virum belli* appellari a sanctis
suis voluerit, nec viros belli quoscunq; improbandos & malo com-
mate notandos esse, sed esse etiam *Viros belli*, qui sint *Viri DEI*. In
eorum numerum refertur *Nobilissimus & maxime serenus Dominus*
Caspar Poley, Dux militaris fortissimus, heros magnanimus, superiori anno
læto datus. Fuit enim *vir belli* à juventute sua, & vitam ejus inspecien-
tibus ubiq; arma, classica, tormenta, prælia, vulnera, victoriæ ex-
hibentur. Exponamus illustre plurimarum memorandarum virtu-
tum curriculum. Vivendi exordium nactus est in oppido Münn-
ducatus Brunsvicensis, Anno post Christum natum cl. 1588, Pa-
rentibus, *Speclatissimo & honoratissimo Viro,* *Thim Dietrich Poley,*
Senatore oppidano & militum & civibus evocatorum in bello Brunsvicensi
Capitaneo, & optima honestissimaq; ejus conjuge *Anna Meyers.* A-
vum paternum habuit *speclatissimum & honoratissimum Virum,* *Heinri-*
cum Poley, Consulem Lanoviensem: Aviam paternam, honestissi-
mam matronam *Catharinam Schulrabens' prestantissimi Viri Dn. CA-*
spari Schulrabens', præcipui civis Munnheriani filiam. Avum ex ma-
terna linea habuit *Eximium & speclatissimum Virum,* *Dn. Heinrich Jost*
Meyern vom Hause Sübberschen à Lonavia. Aviam itidem ejus lineæ,
feminam decoratissimam, *Annam Hölstet Lonaviensem.* His ori-
undus natalibus ad originem salutis, peccato originis infectus, dedu-
ctus est noster, *Viro belli Jehovâ* induendus, eiq; conciliandus, per saluti-
feras lavacri regenerationis aquas. Notam beatificæ initiationis na-
ctus est nomen *CASPARI.* Parente orbatu^s XI. ætatis anno, Marris vi-
duæ pietate ad timorem Dei & honestatis amorem magna industria
lau-

laudabilisq; sollicitudine adluefactus fuit. Cum artibus li-
 beralibus vix accommodatum præ se ferret animum, magis
 vero militaribus gauderet exercitationibus laboribusq; ob-
 tinuit a Matre, ut Generoso & nobilissimo Viro, Domino Jost
 Aschen a Witeberg committeretur, cum tunc Munneria suam
 ille haberet domicilium. Illam postea in bello Brunsvicensi Ma-
 gistri Equitum functum officio *Poleyn* noster fidus minister
 secutus est, & omnibus officiis ita prosecutus, ut præcipua dilectio-
 ne eum complexus fuerit. Finito Brunsvicensi bello, post sexennii
 integri cordatissima officia ipsi præstita, commendavit eum Ma-
 gister Equitum fratri suo, Domino a Witeberg, Duci sub exercitu
 Mansfeldico celebratissimo. Atq; hætenus ad nutum Dominorum,
 quibus suam condixerat operam, specimina boni militis & *Juvenis-
 Belli* edidit non contemnenda. Cum verò *Dux Witebergius* supre-
 mum obiisset diem, essentq; sub Legione non pauci, qui intrepidi
 juvenis ambirent famulitium, maluit tamen ille, sub Legione, quam
 sub Hero, militare, atq; adeo sub equestri legione S. Cæs. Majestatis,
 quam *Illustris & Generosus Comes Johannes de Werth* construxerat,
 Equitis suscipere spartam, quam variis vigilantissimi & interriti mili-
 tis speciminibus tamdiu ornavit, donec *Serenissimo Danicæ, Norve-
 giæ &c. Regi, Christiano* 5. m. cum S. Cæsarea Majestate bellum in-
 tercederet. Tunc enim, cum fidei suæ contangyinos & populares
 isto bello in gravissima pericula involvi existimaret, diutius in istis
 partibus subsistere noluit, sed dimissione honorifica impetrata ad Da-
 nicum se contulit exercitum, Legioniq; *Sturice* adscriptus fuit. Fide
 hic sua satis diu & fortiter præstita, denum resignavit obligationem,
 & dimissionem obtinuit. Inde *Serenissimo ac Potentissimo GU-
 STAVO ADOLPHO, Svecorum &c. Rege* in Prussia bellum con-
 tra *Polonos* agitante, Svecicis armis, magna tum claritate surgent-
 bus, sese conjunxit, eo quidem honorum militarium augmento,
 ut sub nominatissimi Ducis *Lesléi* equestri cohorte *Corporali*, ut vo-
 cant, dignitatem obtinuerit. Cum aliquandiu in hac confidisset
 sorte, in qua majora subinde fortitudinis documenta dedit, apud for-
 tissimum Ducem *Marranium* inclaruit, qui per Legatum suum, *Poley-
 um* nostrum ad se vocatum *Mensoris* seu *designatoris* diversiorum mu-

nerè primum maectavit, paulo post *signiferum* creavit, denique cohortis *Legatum* constituit. His jam Anno Christi 1632, auctus honoribus, de matrimonio ineundo consilia secum agitavit. Erat opportunè in patria sua Munneriæ noster, & vidit *florētissimam & decoratissimam Virginem Sophiam Hünemörders*, Viri *Spectatissimi & præstantissimi Dn. Nicolai Hünemörders Civis & Mercatoris Rostochiensis honoratissimi filiam*, in familia *Majoris Crusii* tunc degentem. Eam à Deo exoratam, & à parentibus concessam, publica benedictione Dn. Superintendentis sibi conjunctam, penitissimo coluit amore, qui & geminam prolem thalamo honoratissimo peperit, masculam, CASPARUM, femineam, *Evam Marianam*, sed quam utramq; in ipsa infantia Jehova *Vir belli* militiae cœlesti adscripsit & ad se evocavit, exuviis Hamburgi positis terræq; mandatis. Hac occasione, missione à Svecis impetrata, *Celsissimo Principi Georgio, Brunsvic. & Luneburg Duci*, patriæ suæ Domino, sese addixit, & sub *Legione Generalis Majoris Bechermann Magistri Equitum* officio honoratus est. Hinc illum postea ad se pertraxit, virtutum militarium fama commendatissimum, *Magnus Militiæ Svecicæ heros VVitembergius, & Magistrum equitum* primum, mox *Majorem Tesserarium* constituit. Et in hac statione toto septennio plurima fortitudinis exempla dantem in oculis præcipuè habuit *incomparabilis Svecici exercitus Generalis Leonhardus Torsten, Sohn &c.* qui illum *Legioni Brunoniæ Legatum Majorem* constituit. Concessit is demum *Generosissimo Dn. Carolo Gustavo VVrangelio* nostrum, ut in propria *Legione*, corporis sui *Custodiæ* dicata, eodem *Legati Majoris* officio fungeretur. Fuitq; *animosissimus Poleys* noster eo adeo præclare functus, ut ejus tandem *DUX* constitueretur. In hoc culminantis fortunæ splendore positus noster, verè *Virum belli* quæcunq; occasione oblata se præstitit. Singula heroica facinora ejus commemorare, chartæ angustiae non permittunt. Versantur illa in fama perenni, in memoria hominum, in militiae Svecicæ procerum noticia, in *serenissimi CAROLI GUSTAVI, Suecorum &c. Regis gloriosissimi*, gratia. Etiam hostestanti belli fulminis nondum obliti sunt. Ita autem *Dux Poleys* noster *Vir belli* fuit, ut & *Vir pacis*, esse potuerit. Hinc fabricato per Dei gratiam ineffabilem instrumento *Pacis & publicato per Germaniam*, dissipatisq;

tisq; utrinq; exercitiis, & noster suas lubens dissolvit copias,
 orbi, Ecclesiæ, & sibi gratulatus, quod hunc armorum à se forti-
 ter gestorum exoptatissimum finem videre potuerit. Ejus enim,
 demum belli perfectam esse gloriam existimavit, cujus finis pæc-
 exoptata coronaretur. Itaq; ad quietem se totum tandem compo-
 suit, utq; eam magis consequeretur, in Ducatu Mechlenburgico se-
 dem suam fixit in prædio Sinsdorff, quod pignoris loco ipsi cessum
 fuit. Non procul à Rostochio nostro id situm est, atq; ideo magis
 illud elegit, ut, quoties placeret, ad Theologos, JureConsultos,
 Medicos & Amicos alios excurrere, aut quos veller, ad se invitare
 posset. Ferunt enim, qui illius vitæ institutum penitus contem-
 plati sunt, pulcherrima fuisse ipsius exercitia spiritualia ad pœnitentiæ
 & fidei incrementa contendenda: *illum* verbi divini lectionem, auditum,
 meditationem impense amasse, notasse ex eo pungentissimos con-
 scientiæ stimulos, gravissimos duri cordis malleos, penetrantia ad-
 versus peccata fulmina, atq; adeo omnem seriæ contritionis armatu-
 ram: observasse ex eo fragrantissimos consolationum flores, qui-
 bus immensitas gratiæ divini, expiationis Salvatoris amplitudo, &
 præsentissima S. Spiritus efficacia continetur. *illum* sacramentorum
 inestimabilium thesauros salvificos frequenter adiisse & in secretissi-
 mos pectoris recessus pie admisisse: *illum* hostem fuisse eorum, qui
 simplicitatem Confessionis nostræ sive ratione corrupta & supercili-
 osa, sive superstitione inolita contaminarunt. *illum* calamitatum pu-
 blicarum damna causasq; sæpius deplorassee & remedia flagitasse prospe-
 ra, duratura, sufficientia: *illum* status publici corruptelas sapienter
 ponderassee & de emendatione disseruisse haud raro consilia: *illum*, ut
 erat VIR ingenui candidiq; pectoris, non inficias ivisse vitia belli finiti,
 sed, sæpius extra leges limitesq; justitiæ in eo erratum, confessum
 fuisse: *illum* in seipsum deniq; pie, humiliter, frequenter sub throno
 gratiæ sempiternæ descendisse, & quas ex inquinamentorum milita-
 rium confluxu sentinaq; passus est adspergines, seriis lacrymis deflevisse,
 & gratias immortalis Deo egisse maximas, quas animo concipere potuit,
 quod eum in tam diuturna militiâ, inter tot excursuum, præliorum,
 quibus oppido plurimis interfuit, oppugnationum, insidiarum peri-
 cula tam paterne & clementer angelico præsidio servaverit, & ad eam

animi tranquillitatem benignissima manu duxerit, in qua omnem vitæ suæ scenam contueri & ruminari potuerit: domum suam & familiam ad pietatis religiosæ leges illum composuisse, & matutinis vespertinisq; precationibus stans instruxisse: illum subditos subditorumq; suorum liberos informationi conducti Præceptoris gnaviter subjecisse: illum erga pauperes munificum & mitissimum fuisse. Cæterum retulit è bello corpus variis circatricibus, ictibus, concussionibus notatum, debilitatum, labefactatum. Et quamvis intervalla habuerit ægritudinis plurima, semper tamendolores ex diversis principiis multiplices sensit. Monuerunt Eum illi de necessitate & propinquitate fragilis hujus domicilii deponendi. Quatuordecim ante beatum obitum diebus, totus in istiusmodi meditationibus fuit, cumq; ad commemorationem mortis Salvatoris nostri sacramento corporis & sanguinis ejus se recreasset, mortis etiam suæ sensu tactus est. IIX. Nov. superioris Anni è prædio suo, in quo graviter ægrotare cœperat, Rostochium anhelavit. Verum enim verò Rostochium cedere cogebatur, quod Deus poposcerat. Quod Vir belli monente Dei spiritu sentiens, ad ultimum se agonem panoplia cœlesti muniit, ut Deo, hosti non animam, JESU sanguine purpuratam cederet. Sed quia hoc ad Ecclesiam pertinet, quomodo feliciter evenerit, à Patre Confessario ejus, Viro admodum reverendo, amplissimo & excellentissimo, Dn. CASPARO MAURITIO, SS. Theol. Doctore, Superintendente Rostochiensis, Professore Publico, & Antistite Mariano, Dn. Collega, amico & in Christo fratre meo honoratissimo, ultimi agonis teste, audietis. Ire ergo ad VIRI BELLI, veterani fortissimiq; Ducis, herois animosissimi, exequias, O Cives Academici, frequentes. Videtis, quanta ille cum gloria terra mandetur, qui nullis honoratissimis studiis instructus, solo asperrimorum armorum usu ad hanc claritudinem assurrexit. Habetis vos in manibus præstantiora & plus splendõris pollicentia arma. Enitamini ad ornamenta vestra. Accipite armaturam vestram, facite illam vobis familiarem, specimina edite, in aciem prodite. Plurimi inter vos nescio quæ latibula incolunt. In talibus si latiret Poleyus noster, & cum vetulis lixis calonibusq; cerevisiam suam abligurivisset, nunquam ad gloriæ militaris culmen pervenisset. Alii in conterraneos novellos rigidi, in ferculorum instruenda acie solertissimi sunt, adversus

adversus exhaurienda dolia, strenui luctatores. Alios prurigo vexat temeraria, ut in duella cocant & non de periculis Græciæ, sed delirius Bacchi Venerisq; decerent. Risit Heros noster illos umbraticos belatores, iisq; vel unius prælii severioris gustum optavit. Nunquam, autem sine indignatione ordinis nostri dedecora commemorata transmisit. Purant plurimi è cœtu vestro, otio, discursationibus, nugis, somno militiam Academicam esse transfigendam. Suam militiam aliter coluit Poleyus noster: pervigiliis, excubiis, speculationibus, laboribus, & ingentibus conatibus ad hoc fastigium assurrexit. Cui semel se mancipavit Belli duci, ei fidus fuit, industrius, solers omnium vincendi occasionum captator, nec ab eo nisi missione legitima facta discessit. Multie coetibus nostris alium Ducem, cui sua obstrinxerunt nomina, profitentur, alium sequuntur. Theologico vexillo adscripsi sunt aliqui. Quando verò quæso ad signa, ad stationes, ad subsellia comparent? Stigmate Dux noster norasset, si qui è militibus suis tam raro, tam infrequentes ad signa comparuissent. Qui melius se consulere rebus suis censent è nostris, illi alienis laboribus se instruunt & sic concioni de bello spirituali prædicant. Heros noster non tulisset eos, qui pugnae se subdixerunt & ad prædam advolarunt, qui de prælio concionari voluerunt, quod nec exercuerunt, nec intelligunt. Eadem ratio est eorum, qui sub signis aliis se militare profitentur sive Jureconsultorum, sive Medicorum, sive Philosophorum. Corrupti bellorum nostrorum mores tulerunt genus hominum, quos equites voluntarios frey Reuter appellarunt, qui sine signis, sine disciplina militiæ interfuerunt. Malunt in nostra militia aliqui esse tales, quam videri. Hinc satis ambitiosè domum de Ducum suorum erga ipsos gratia, de laureis partis scribunt. Interim cornicines, tympanistæ, tubicines, æneatores, fidicines, ab ipsis conducti, hoste nondum victo, pecunia autem brevi peritura, per Varnam triumphum cantant. O seculi ineptissimos mores! ô fallacias in militia etiam profanissima vix tolerandas! Ad exequias præsentis ista admonere ex moribus generosi Ducis nostri placuit. Vobis, quos notavi, obsequii gloria relicta est. Interim mœstissimam viduam bene composita & numeroza vestra præsentia erigite! Dab. Rostoch, XII. Jun.

A. O. R. c155IcLVI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and is mostly obscured by the texture and color of the aged paper.

tisq; utrinq; exercitiis, & noster su-
orbi, Ecclesiæ, & sibi gratulatus, quod h-
ter gestorum exoptatissimum finem vider-
demum belli perfectam esse gloriam exit-
exoptata coronaretur. Itaq; ad quietem
fuit, utq; eam magis consequeretur, in D-
dem suam fixit in prædio Sinsdorff, quod
fuit. Non procul à Rostochio nostro id
illud elegit, ut, quoties placeret, ad Th-
Medicos & Amicos alios excurrere, aut
posset. Ferunt enim, qui illius vitæ ins-
plati sunt, pulcherrima fuisse ipsius exercit-
& fidei incrementa contententia: illum verbi
meditationem impensè amasse, notasse e-
scientiæ stimulos, gravissimos duri cordis
versus peccata fulmina, atq; adeo omnem
ram: observasse ex eo fragrantissimos o-
bus immensitas gratiæ divini, expiationi
præsentissima S. Spiritus efficacia contineri
inestimabilium thesauros salvificos frequen-
mos pectoris recessus pie admisisse: illum
simplicitatem Confessionis nostræ sive rati-
osa, sive superstitione inolita contaminaru-
blicarum damna causasq; sæpius deploras-
ra, duratura, sufficientia: illum status pi-
ponderasse & de emendatione disseruisse ha-
erat VIR ingenui candidiq; pectoris, non in-
sed, sæpius extra leges limitesq; justitiæ in-
fuisse: illum in seipsum deniq; pie, humili-
gratiæ sempiternæ descendisse, & quas ex-
rium confluxu sentinaq; passus est adspargere
& gratias immortalis Deo egisse maximas, qu-
quod eum in tam diuturna militiâ, inter to-
quibus oppido plurimis interfuit, oppugn-
cula tam paterne & clementer angelico præ-
B 3;



the scale towards document

olivit copias,
a à se forti-
Ejus enim,
finis pasc,
lem compo-
nburgico se-
psi cessum,
ideo magis
Consultos,
d se invitare
ius contem-
pœnitentiæ
em, audicum,
issimos con-
nerrantia ad-
onis armatu-
flores, qui-
aplicudo, &
ramentorum
in secretissi-
eorum, qui
& supercili-
mitatum pu-
tasse prosp-
las sapienter
a: illum, ut
ia belli finiti,
confessum
sub throno
rum milita-
is deflevisse,
ipere potuit,
præliorum,
diarum peri-
t, & ad cam-
animi